

## Hör-Lese-Verstehen (Cicero, *Pro Marcello* §§ 1 – 4)

1 (1) Diuturni silenti, patres conscripti, quo eram his temporibus usus non timore aliquo, sed partim  
2 dolore, partim verecundia, finem hodiernus dies attulit idemque initium, quae vellem quaeque  
3 sentirem, – meo pristino more – dicendi. Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatum  
4 inauditamque clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam denique  
5 incredibilem sapientiam ac paene divinam tacitus praeterire nullo modo possum. (2) M. enim  
6 Marcello vobis, patres conscripti, reique publicae reddito non illius solum sed etiam meam vocem  
7 et auctoritatem vobis et rei publicae conservatam ac restitutam puto. Dolebam enim, patres  
8 conscripti, et vehementer angebar, cum viderem virum talem, cum in eadem causa in qua ego  
9 fuisset, non in eadem esse fortuna, nec mihi persuadere poteram nec fas esse ducebam versari  
10 me in nostro vetere curriculo illo aemulo atque imitatore studiorum ac laborum meorum quasi  
11 quodam socio a me et comite distracto. Ergo et mihi meae pristinae vitae consuetudinem, C.  
12 Caesar, interclusam aperuisti et his omnibus ad bene de re publica sperandum quasi signum  
13 aliquod sustulisti. (3) Intellectum est enim mihi quidem in multis et maxime in me ipso, sed paulo  
14 ante omnibus, cum M. Marcellum senatui reique publicae concessisti, commemoratis praesertim  
15 offensionibus, te auctoritatem huius ordinis dignitatemque rei publicae tuis vel doloribus vel  
16 suspicionibus anteferre. Ille quidem fructum omnis ante actae vitae hodierno die maximum cepit,  
17 cum summo consensu senatus tum iudicio tuo gravissimo et maximo. Ex quo profecto intellegis,  
18 quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepto sit tanta gloria. (4) Est vero fortunatus, cuius ex  
19 salute non minor paene ad omnes, quam ad illum ventura sit, laetitia pervenerit: quod quidem  
20 merito atque optimo iure contigit. Quis enim est illo aut nobilitate aut probitate aut optimarum  
21 artium studio aut innocentia aut ullo in laudis genere praestantior?